

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.



(1705 - 1780)

1. Becker de nervis 1772
2. Becker de hernia 1773
3. Berold de haemorrhagia 1780
4. Bidermann de labio leporino 1760
5. Bilger de saliva 1705
6. Birkoch Modus bene nascendi et bene moriendi 1728.
7. Blanc Chydropisie de poitrine. An. 9.
8. Blaw de hydrope peritonaei. 1752.
9. Boering de rheumatismo acuto 1707
10. Boerler de aciculis petronis. 1762.
11. Boerler historia instrumentorum 1705
12. Boehm syphilidis therapiae 1771
13. Boehm de morbo Neapolitano. 1738.
14. Bonhoeffer de hydracele. 1771.
15. Bonz de venae sectione 1763
16. Bonz de colica sanguinea. 1737.
17. Bouender nova methodus remorendi. 1715.

Q. D. B. V. 3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
HÆMORRHAGIA UTERI
PARTUM INSEQUENTE
QUAM
CONSENTIENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORIS
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI
IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE
DIE XXI. SEPTEMBRIS MDCCLXXX.
SOLENNITER DEFENDET
GUSTAVUS FRIDERICUS BEZOLD
ROTENBURGO-TUBERANUS.
H. L. Q. C.

Argentorati, Litteris JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.

DISSENTATIO ANATOMICA MEDICA

DE

HAEMORRHOIDALIUM

CAUSIS

QUAE

COLLEGIUM

GRATIOSA FACULTATIS MEDICAE

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

GRADUUM DOCTORIS

ET PRIVILEGIUM DOCTORUM

IN THESE

IN ALMA ANGELO-POLITANA UNIVERSITATE

DIE XII SEPTEMBRIS MDCCCXXXI

SOLEMNITER DEFENDIT

GUSTAVUS FRIDERICUS RENOLD

ROTENBURGO-YUBERANUS

B. L. C.

Altenburg, Lith. Joh. Karst'sche Buchdr. Druck.



ILLUSTRIS ATQUE CELEBERRIMÆ
S. R. I. REIPUBLICÆ ROTENBURGENSIS

SPLENDIDISSIMO ATQUE AMPLISSIMO

SENATUI
VIRIS

*ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, MAGNIFICIS,
MAXIME STRENUIS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSULTISSIMIS*

DN. DN. DN.

CONSULIBUS
SENATORIBUS
ET
CONSILIARIIS

PROCERIBUS LONGE GRAVISSIMIS
ET DE OMNIBUS REIPUBLICÆ PARTIBUS
IMMORTALITER MERITIS
MÆCENATIBUS
ET
PATRIÆ PATRIBUS
INDULGENTISSIMIS
FAUTORIBUS SUIS GRATIOSISSIMIS
HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM
SUBMISSO ATQUE DEVOTO ANIMO OFFERT
SESEQUÉ SIMUL TOTUM COMMENDAT
ÆTERNA REVERENTIÆ, OBSERVANTIÆ ET GRATITUDINIS
LEGE
ILLIS
CLIENS PERPETUUS ATQUE DEVINCTISSIMUS
AUCTOR.



Exarata Dissertatione prooemium variaque in
 eo dicenda, meditor: quo usitato etiam
 me processisse videar more. Mox, cur hanc
 nec aliam elegerim materiem, mox ingenii
 tenuitatem temporisque angustiam præverte-
 re exempla plurimorum Candidatorum me jubebant; ut
 saltem mitius sentirem Cenforum flagellum, si forte spem
 illorum frustraverim, nec ex asse illis satisfecerim. Quam-
 vis de omnibus quædam mihi monenda essent, mittam
 tamen singula, quæ aliquam, vel minimam tantum invol-
 vere possent suspicionem, blandis & mollibus verbis sphin-
 gis quasi me subducere voluisse faucibus. Feci, quæ vires
 permiserunt; ultra nemo potest.

S. I.

DE hæmorrhagia partum insequente dissertaturus describam morbum puerperis infestissimum; sed quoniam illis naturalis sit sanguinis aliorumque humorum effluxus certis cancellis concentratus, quem *Lochia* vocant; ideo horum accuratam descriptionem præmittere, ut ab excretionem naturali, præternaturalis rite distinguatur, officium requirit.

Lochia illam purgationem puerperarum appellamus, qua initio plerumque sanguis sincerus effluit, mox in liquorem loturæ carniū similem, tandem vero plane albidum & ferè puriformem desinens; inde illud *lochiam rubram*, hoc *alba* appellant.

Exempla, ubi plane albida, & valde parca fuere adeo rara sunt, ut pro exceptione valeant, imo pro casibus præternaturalibus judicari possint. An casus puerperæ, de qua DEVENTER sequentia verba facit, hic locum habet? *Puerperam aliquando defunctam octavo, ni fallor, vel nono post partum die, cultro aperui, uterum tam exiguum & naturaliter adeo constitutum mirabundus inveni, quasi puerperæ non fuisset* ¹⁾.

Distingui quidem posset inter *lochiam partus naturalis* & *abortivi*, sed dum fere inter se sanguinis excreti copia tantum differunt, vix opus erit. In omni corporis nostri excretionem, si cum euphoria sit, superflui quid e corpore eliminatur. Quod idem etiam hic valeat, videtur partim ex emolumento puerperæ, quando *lochiam* rite fluunt, partim ex malis illorum retentionem pedissequis. Insuper

1) *Nov. Lum. Obst. C. IX. p. 44.*

haud difficile est, necessitatem eorum perspicendi, si modo perpendamus, cujuscunque gravidæ ut erum pluribus turgere humoribus, quorum semper pars quædam in nutritionem foetus abit. Partu vero edito causaque sublata, majorem humorum copiam requirente, necesse est, ut proportio fluidorum in visceribus & vasis restituatur, quod lochiorum ope peragitur: totus enim uterus durante graviditate abundat humoribus, partim per vasa valde ampla meantibus, partim in sinibus uteri delitescentibus: foetu vero excluso, ut in illud fere, quo ante graviditatem gaudebat, reduci possit volumen, lochia exprimuntur. Nimia dicuntur lochia, quando solidam quantitatem & tempus excedunt; hinc ut quid certi de hac re statui possit, deberet cognosci illa copia, quæ naturaliter excludi solet: prouti enim varii dantur corporis habitus, ita & hic fluxus variat. Major erit, si puerpera sanguinea est, aut aliis turget humoribus, si habitus corporis ei laxus est, & sanguis nimis ferofus in vasis continetur, & vice versa: quibus enim menses parci sunt, aut vasa exilia, aut habitus corporis ficcus, iis lochia parce fluunt?). Nec minus alia hujus fluxus abundantiam conciliabunt, e. gr. si mulier sanguinea graviditatis tempore nullam celebraverit venæsectionem, si lauta & calida diæta vitæque sedentaria usa fuerit &c. Præterea ingens observatur diversitas non tantum in variis puerperiis, sed etiam in eadem puerpera in diversis puerperiis: dum enim uterus in graviditate extenditur, sensim magis explicantur ejus vasa, ideoque cæteris paribus eo largiora expectanda erunt lochia, quo majus volumen uterus adquisiverit.

S. II.

Hunc sanguinem, quidquid etiam contra clamitent

2) III. GRUNER. *Semiot.* p. 447.

quidam moderni, recte pro materie morbifica, qua natura sese sensim sensimque exoneret, habendum esse, statuo. Hinc GALENUS jam olim optime hac de re iudicavit ³⁾ scilicet foetum meliorem in se, qua nutriatur, partem sanguinis trahere, deteriore relinquare, quæ causa sit prægnantibus cacochymia, quam natura post partum evacuet, ideoque lochiale seu puerperii purgationem Medici nominaverint, non simpliciter vacationem.

Ipsa etiam nutritio foetus ex hoc sanguine, nec minus totus gravidæ corporis habitus ante & post partum factis abunde probant, cruorem illum & quantitate & qualitate peccantem excerni. Quamvis etiam ille sanguis, qui statim post separatam placentam copiose effluit, purus sit & non stricte dictum uteri purgamentum, attamen ille, qui aliquot post partum horis & illum subsequenti- bus quatuor primis hebdomatibus ex ipsa uteri substantia exprimitur, pro vera hujus visceris depuratione habendus est. Exinde mala lochiorum retentionem sequentia: v. c. metastases, inflammationes, febres putridæ, scirrhi rel. quæ omnia tam quantitati quam qualitati sanguinis retenti adscribenda erunt, facile eruuntur. Fatemur at- tamen, multa quoque, quæ olim lochiorum suppressio- ni tantum tribuebantur, incommoda, non inepte lactis metastasi adscribenda esse. Tempus durationis lochiorum valde incertum est, plerumque per XXX. dies viget. HIP- POCRATES pro vario sexu infantis geniti, lochiorum fluxus durationem male determinavit; ita ut XLII. dies pro fœ- mineo & XXX. pro masculino sexu ⁴⁾; mox enim illud tempus non attingunt, mox longius trahuntur; semper magis decrescunt pro ratione vis muscularis, diathesis fluidorum in genere, & diætæ parturientis. Quod absque

³⁾ *Comment. in Hippocr. Epid. L. II.*

⁴⁾ *De Natura puerp. C. V.*

fanitatis detrimento plane non apparuerint, vix credo: semper enim in hoc casu, ut alia aucta excretio vices eorum suppleat, necesse est.

§. III.

Priusquam opus ipsum adgrederer, amplam quidem præmittere possem uteri texturæ, vasorum ejus in placenta & eorum hujus massæ in internam illius superficiem insinuationis &c. descriptionem, sed labores fumorum viroſum HALLERI, RÖDERERI, HUNTERI & simil. longe majoris mihi sunt momenti, quam ut in compendio illos mutilem. Adeat eos, qui hæc scire desiderat. Incerta vero, quæ adhuc hæc in materie obtinent, recensere, parum frugis afferret; rem enim me plane enucleare non posse, lubens fateor; cui bono itaque, si varias enumerem Auctorum sententias, ipse destitutus experientia? Practica magis mihi incumbit pars, hac occupabor, id unice adhuc addens: in hæmorrhagia uteri sanguinem maxime venosum erumpere: in quo cum infra citatis clarissimis viris, qui contrarium statuunt, non consentio).

Sub hæmorrhagia hæc intelligo eum nimium sanguinis e genitalibus post partum effluxum, qui simul cum læsione functionum conjunctus est. Pro proxima causa agnoscit nimiam & præternaturalem vasorum uteri dilatationem; quotuplex ea esse possit, in quovis videri potest compendio pathologico. Inter remotas præcipue sequentes sunt accusandæ: 1) Atonia uteri. 2) Congestio versus illum. 3) Corpus peregrinum in eo relictum. 4) Læsiō ejus. 5) Vitium locale.

5) KALTSCHMIDT r. SCHMIDT D. de *Hæmorrhagia Uteri*, Jenæ §. 17. n. 2.

§. IV. *Uterum enim in hoc casu, ut alia supra exercitio vices eo-*

1) *Atonia uteri.*

Uterum gaudere fibris muscularibus, neminem fugit. Litem de diversa illarum directione jactatam meam non facio. Vim, qua deficiente, *Atonia* adest, fibris esse insitam, post stimulum sese contrahendi, ex physiologia III. HALLERI satis abundeque patet. Nunc ergo examinandum nobis erit, quænam causæ hanc inducere valeant atoniam. Sub hoc titulo considerari debent omnia, quæ cohæsi- nem partium uteri imminuunt, quæ nervos ita debilitant, ut stimulum non rite in fibras exserere possint. *Atonia* hæc variat per gradus, mox partialis est, mox universalis, mox major, mox minor, prouti vel pars tantum uteri, vel totus uterus ea laborat, vel iste plus minus est exhaustus. Utraque magni vel minoris rursus esse potest momenti. Partialis tantum oriri debet a causa immediate in utero hærente v. c. locali ejus debilitate, vitiosa placen- tæ adhæsiõne, interdum etiam a causa externa v. c. ictu, vi in solutione placen- tæ adhibita.

Cohæsiõ partium corporis cujusdam imminuitur vel nimia ejus extensione, vel interventu fluidorum inter partes ejus solidas. Utrumque in utero locum habere potest. Causa uterum supra modum extendens primaria foetus, aquæ amnios, & placenta sunt, de die in diem in majus sese evolventia volumen. Uterus virgineus sanus pyri mediocris vix superans magnitudinem, mirum sane, quantum patiatur extensionem, si imprægnatus fuerit: quam quidem & structura & fibræ ejus, affluxu fluidorum laxæ reditæ, libenter concedunt: plerumque enim foetus magnitudo uteri capacitati respondet: sed uti in omnibus rebus exceptiones, ita & hic observantur. Foetus quandoque prægrandis est, fibræ vasaque uteri ad certum tantum gra-

dum extendi valent; excedente itaque vi extendente, ni ipse rumpatur uterus, fibræ necessario a se invicem recedunt, & chordarum instar nimis tensarum remittunt, tonumque amittunt ad se invicem coeundi. Quare etiam accidere solet, ut in flaccidis & mollibus corporibus uterus jam vacuus, debilius & lentius se contrahat, unde semper nimius lochiorum fluxus & multoties hæmorrhagia sequuntur.

§. V.

MORICEAU, LA MOTTE, LEVRET & alii observarunt, præcipitem & facilem partum hæmorrhagiam non semper sequi, sed tamen metuendam esse. Res autem ita se habet. Uterus durante graviditate, prouti sensim sensimque extendebatur, ita etiam absoluto partu gradatim se contrahit. Pelvis admodum ampla, contractiones vehementes, & laxa nimis colli uteri structura efficere possunt, ut uno quasi momento absolvatur partus. Si dein placenta sponte foetum sequitur, aut vi extrahitur, tunc utero etiam sano non fat temporis datur supra oscula vasorum hiantia sese contrahendi, inde hæmorrhagia, quæ erit vehemētissima & lethalis, si puerpera fibra in genere laxa donata aut fluori albo habituali obnoxia fuit. In ultimo partus stadio uteri, musculorum abdominis contractionibus validissimis omniumque totius corporis actione sanguis vi pellitur per vasa, ideo extracta præmature placenta, ille in uterum minus resistentem corrui, & qua data porta erumpit. Audiamus cl. LE ROUX ⁶⁾ *les femmes, qui ont les étroits au bassin vastes, & porifce de la matrice mol, sont exposées à avoir des accouchemens précipités, & les accouchemens précipités sont suivis d'inertie - - la matrice re-*

6) *Obsero, sur les pertes du sang, §. 91. p. 55.*

se donc dans le relachement & le sang coule sans interruption par les embouchures béantes de vaisseaux qui fournissoient au placenta &c.

Triste exemplum, quo dolores admodum vehementes talem præcipitanter absolutum partum effecerunt, MORICEAU notavit: per aliquot dies debiliores aderant contractiones, tandem vehementiores eveniebant; membranae rumpebantur, partus facilis erat, sed post quadrantem horæ hæmorrhagia extincta fuit puerpera. 7) Æque lethalem nobis exhibet casum LA MOTTE ubi partus unius horæ spatio peractus, hæmorrhogiam & mortem post se traxit 8).

Vidimus, momentaneam quasi atoniam ad nostram hæmorrhogiam ansam præbere posse. Nunc haud difficile erit perspectu, veram quoque oriri posse atoniam, quando sub validis contractionibus partus in longum trahitur. Uterus maxime & quasi ultra modum extensus omnes colligit vires, ut a contentis se liberet. Ultimis tandem ob impeditum exitum foetus, viribus collectis, res vel succedit, vel uterus defatiscit, & partus arte absolvendus erit. In utroque casu hæmorrhagia pertimescenda est. In Ephem. N. C. legimus observationem, ubi ex pertinacia parturientis partum in longum protrahum tandemque ægre absolutum lethalis sequebatur sanguinis fluxus 9).

§. VI.

Et inæqualis uteri contractio hic recensenda venit. Quamvis enim una ejus regio in se coëat, si illa, cui placenta annexa fuit, vel plane omnem respuit contractionem,

7) *Suite des observ. par Mr. LEVRET* p. 447. seq.

8) *Ib'dem* p. 455. & GULBRANDT de *Sanguis. uter.* p. 65.

9) *Dec. II. obs.* 93.

nem, vel tamen illi non æqualem patitur; necessario sanguis supra modum erumpet. Quod quidem sæpius effluxus cujusdam statim partum insequentis causa erit; sed si modo stimulum applicas, manum in utero circumagendo, irritabilitas excitatur in partibus atonia hæc laborantibus, & hæmorrhagia cessabit, quod jam aliquoties observare mihi occasio fuit. Placenta tunc semper in una regionum uteri adhæsit, qua soluta fundus coit quidem, sed ob illam regionem magis adfectam inæqualis surgit contractio, minorque; unde sanguinis profluvium. Huc merito referri debet syncope, validissimas uteri contractiones & inde oriundos dolores, vel exhaustas ob nimis prolongatum partum puerperæ vires, subsequens; symptoma omnium pessimum, atoniam veram musculis & sphincteribus in genere indeque momento citius lethalem hæmorrhagiam inducens.

S. VII.

Fluida nec minus aliquid ad hanc uteri laxitatem conferunt. Quotidiana hoc probatur experientia; corpori enim solido, si fluidum adfunditur, statim interstitia ejus penetrat, cohæSIONem partium imminuit, immo tandem plane ejus nexum solvit. Hoc aliquo modo utero applicari potest gravido, humoribus turgenti. Equidem verum est, quod hic ille affluxus ad hanc extensionem sustinendam aptum reddat uterum; nihilo minus tamen laxitatem inducit, indeque ad sanguifluxum disponit, si humores in vasis & sinibus uterinis contenti quantitatem requisitam excedunt, nimis sunt serosi, & simul uterus ultra modum est extensus tam foetu quam insolita aquæ in cavitate amneos congestione. Omnes ergo causæ non solum ante sed & in partu habituales & occasionales quasi congestiones in uterum inducentes, hic referri de-

bent, sicuti nimis frequens coitus, debilitas uteri congenita vel partibus prægressis laboriosis aut frequenti abortu acquisita ¹⁰⁾. Quamvis libere fateamur, has causas separatim sumtas rarissime puerperæ funestas esse; sed necessarium fere esse, ut omnes simul concurrant, ut hæmorrhagia oriatur. Magis jam abhorrenda sunt, status gravidæ cachecticus, cacochymicus, œdematosus, febris lenta, phthisis, hydrops, fluor albus habitualis, quibus & textus solidorum nimis relaxatur, & humores aut inspissati aut dissoluti variis vitiati sunt acrimoniis; has inter numerari possunt virus venereum, scorbuticum, scrophulosum rel.. Fere similem observavit GULBRANDT, XII. hebdomades post partum continuam una cum gonagra, maculis scorbuticis & stomachace ¹¹⁾.

§. VIII.

Ex Physiologia patet, nervos esse, qui vitam omnibus fere corporis nostri partibus organicis conciliant: quod si illorum influxus in partem aliquam debilitetur, vel plane deficiat, illa ad functiones suas rite celebrandas languida aut absolute inepta reddatur. Non mirum igitur, uterum, etsi innumeris fibris perfitum nerveis, æque ac alias corporis partes debilitate immo paralyfi laborare posse. Causæ hoc efficientes quærendæ erunt in debilitate congenita, magis vero in morbis chronicis prægressis supra nuncupatis præcipue spasmodicis illis, diu misereque corpus excruciantibus. Quod maxime valebit de malo illo hysterico in utero plerumque hospitante: qui unquam talem miseram viderit, certe dirissimis cruciatibus vexatam, nervorum ejus debilitatem pedissequam esse

¹⁰⁾ HUGUENIN D. de *Atonia uteri* &c. Arg. 1770. p. 21.
¹¹⁾ L. c. p. 26.

debere non mirabitur. His non inepte addi possunt profundior mœstitia, qua languet humorum circulus, & inspissatur sanguis, & validior iracundia, qua arteriæ aucto stimulo vehementius contrahuntur, & sanguis ad uterum pleno flumine propellitur, solidaque in genere nimium tensa præter modum relaxantur. Actionem nervorum & imminui & impediri posse obstructionibus, tumoribus, scirrhis, cicatricibus & simil. ratio simul & experientia probant.

§. IX.

2) *Congestio versus uterum.*

Ubi minor resistentia, illuc motus humorum dirigitur; hæc regula hic non inepte tanquam axioma applicanda est. Uterus enim jam virgineus propter structuram suam labyrinthicam¹²⁾ ad majorem sanguinis copiam excipiendam constructus est; gravidus, valde extensus, humoribus turgens a densa in laxiorem & porosam structuram convertitur: minima itaque in corpore, si oritur causa occasionalis, humorum circulum augens, excitans, aut in quibusdam partibus impediens, necesse erit, ut uterum petat sanguis, & in eo excipiatur, mox hæmorrhagia proditurus. Idem eveniet, si grævida diæta lauta, vinosaque vita sedentaria, fortioribus pellentibus, atque calidioribus in ipsis præcipue partus doloribus usa fuerit; si spasmus in quibusdam corporis partibus circulum humorum impedit¹³⁾ fortiores animi adfectus, terror, ira¹⁴⁾ quandoque etiam ab induratis fecibus graviditatis tempore in intestinis crasis accumulatis: MORICEAU enim vocatus fu-

12) ASTRUC *Malad. des femmes.* Tom. I.

13) FR. HOFFMANN *Med. Kat.* Tom. IV. P. II. S. I. C. 5. p. 109.

14) *Comment. de reb. in S. N. & med. gest. P. IV. p. 601.*

it ad puerperam, quæ educta rudiori manu placenta validam hæmorrhagiam per 5-6. dies perpessa est, & quam aliquot clysmatibus emollientibus incassum adhibitis paulo acriori injecto, curavit ¹⁵⁾. Maxime quoque hoc valebit de vasorum infimi ventris obstructione; sicuti enim hæc haud infrequens est, ita etiam ob viciniam sanguis, circulo ejus per viscera impedito, in uterum redundare debet.

Quidam etiam lactis repulsionem accusant ¹⁶⁾, & quidem non injuria; multa enim sunt, quæ consensum mammarum cum utero probant; scilicet quod plerumque utero fluente mammæ deturgeant, mammisque plenis uteri fluxus imminuatur; quod si uteri scirrhus adfit: mammæ plerumque eo adfectæ sint: quod simile quid lactis in utero secernatur: prouti testimonia clarissimorum virorum probant, qui in placentæ recentis superficie materiem lacteam viderunt, & vasa lactea in placentæ papillis repererunt ¹⁷⁾. Sufficiet de existentia vasorum lacteorum in utero *Clar. ASTRUC* adduxisse ¹⁸⁾. Vix quidem videtur, hunc probari posse consensum per vasa, & tamen res aliter se habere haud potest: & quid impedit per congectionem hoc explicare? cum uterus æque, ac mammæ laxa, cellulosa gaudeat substantia; in uno itaque fluxu impedito, versus alterum sanguis ut ruat, necesse est, sicuti in his secretionibus aucta, in illo imminuatur. Evidenter hoc videtur in imminutione fluxus lochialis, quando febris sic dicta lactea oritur, & lac per mammas excernitur; nam lac rarior est vel plane deficit, si fluxus ille augetur ¹⁹⁾.

15) *Traité des mal des femmes gross.* L. III. C. V. p. 386.

16) REICHARD D. de *Hæmorrh. uter.* Argent. 1755. p. 25.

17) DEIDIER *Anat. raison.* p. 413. VIEUSSENS *poth.* Verheyen. pag. 40.

18) *Malad. des femmes* Tom. I.

19) Notabile exemplum, quod mirum mammarum & uteri consen-

3) *Corpus peregrinum relictum in utero.*

Frequentissima sane causa hæmorrhagiæ placenta, vel ejus pars, aut aliud quid in utero relictum esse solet. Possimus quidem longe de modo adhæisionis placenta in utero differere, sed mittamus hæc, quia nimis nos distraheret, & disquiramus solum, quomodo ea relictæ, hæmorrhagia uteri producat.

Neminem fugit, post quemvis partum uterum in se invicem coire, idque successive fieri, ut lochia rite exprimi possint. Omne itaque huic contractioni obicem ponens, simul efficit, ut per oscula vasorum aperta sanguis libere erumpere possit. Placenta itaque quamvis soluta jamjam, sed adhuc in utero latens hoc efficit. Nec infrequenter ignorantia obstetricum præmature, aut nimis adhærens vi solvitur; ideo mirandum sane, quod non sæpius ejusmodi extractiones hæmorrhagia sequatur. Interdum (sed rarissime) orificii uterini nimia restrictio eam retinet, vel in parte, vel in toto solutam, tunc adrit hæmorrhagia verum interna absque sanguinis per vulvam effluvio; observatur quoque, cuius placenta soluti-
oni gradatim & lente peractæ fluxum sanguinis vehementiorem supervenire; nam sicuti per longius temporis spatium protrahitur, & ob hanc rationem plus sanguinis emanat, ita plerumque ad quandam uteri debilitatem concludi debet. LA MOTTE talem nobis exhibet casum, puerperæ a partiali placenta solutione hæmorrhagiam passæ, quam chirurgus ob quodammodo difficilem pla-

sum probat, refert LENTIN. in *Memorab. circa ær. vit. gen. sanit. & morb. Clausthal. Gœtting. 1779.* Femina IX. experta fuit abortus ob admodum maturam lactis in mammis effusionem. Cl. LENTIN impedit novum abortum per repressionem lactis: per venæsectionem, fomentationes frigidæ, & antispasmodica.

centæ solutionem suæ forti, & miseræ morti reliquerat ²⁰). Si vero uterus tanta vi gaudet, ut circa placentam adhuc fortiter adhærentem se contrahat, illa incarcerabitur (*en-kisté Gall.*) ²¹) extracta hac massa, quod non absque summa difficultate peragitur, & ab obstetricante & lentorem & perspicacitatem in operando, ne uterus lædatur, requirit, event, ut nunc per aliquot horas sanguis plane nullus, postmodum, prægressis torminibus, in magna copia grumofus & foetidus erumpat, quod intra sex aut septem primos a partu dies alternatim, ratione ad sanguinem & humores in utero retentos habita, sic peragitur, donec nullum amplius facci, in quo placenta latebat, superfit vestigium. Hoc in casu lochia per carceris aperturam facilius effluent, si puerpera in latus illi oppositum, decumbit: miror, hoc consilium a nullo hæcenus Auctore supeditatum fuisse. Idem producet frustulum placentæ laceratæ in utero relictum, in ejusdem cavo fluctuans aut adhuc adnexum, fere nunquam non hoc obstetricis fit vitio. **LA MOTTE** enim observavit: quod secundinæ post partum sponte sequerentur; quas antea obstetrix extrahere frustra tentaverat: sed ob vim adhibitam frustulum remansit, ut sectio demonstravit, atque lethalis hæmorrhagiæ causa fuit ²²). Legimus adhuc aliud, de summa hæmorrhagia violentam placentæ extractionem subsecuta, ita ut dimidia ejus relicta fuerit pars; quam postea **Cl. LA MOTTE** extraxit, ac ægra convaluit ²³). Cuique ex his erit perspicuum, hanc hæmorrhagiam æque produci posse, si aliud quid præter placentam in utero delitescat, ob volumen suum contractionem ejus impediens v. c. caput ab-

²⁰) *T. II. Obs.* 385. p. 1173.

²¹) *LE ROUX* l. c. p. 40.

²²) *Traité compl. des accouchem.* p. 147.

²³) *Ibid.* p. 744.

fiſſum, mola, gemellus, grumæ ſanguinis, placenta foetus abortivi, vulgo *faux germe*, membranæ.

S. XI.

4) *Læſio uteri.*

Eſt certe dolendum, hodie adhuc, dum ars obſtetri-
cia ſummam fere pertigerit perfectionem, dari vel admit-
ti obſtetrices, quæ, rei planè ignaræ, rudi ſemper manu
opus adgrediuntur, innumeraque mala in parturientes ac-
cumulant. Quamvis negari non poſſit, experto etiam quan-
doque obſtetricanti evenire poſſe, ut placentam utero quaſi
concretam per fruſta extrahere coactus ſit²⁴⁾; nemo autem
niſi inconſultus, & in operando præceps, quamvis alias
expertus, uterum, aut vaginam instrumentis lædet. Sed
innumera proſtant exempla, ubi non ſolum obſtetricum
culpa graviffimi errores fuerunt commiſſi, verum ipſe et-
iam uterus læſus eſt, ita ut jure meritoque multarum femi-
narum mors illis adſcribi debeat. Uterus gravidus valde
extenſus creberrimis contractionibus admodum debilis red-
ditur, caute itaque tractandus, caute ideo, & lente in ſo-
lutione ſecundinarum agendum eſt, ne vi lædatur. Exem-
plum nobis notavit LE ROUX²⁵⁾ vitio obſtetricis commiſſum.
Simile accidere poteſt, ſi funiculus præternaturaliter bre-
vis eſt, vel foetus circumvolutus, partusque arte finitur.
Inconſideratis etiam jamjam evenit, ut uterum pro vela-
mentis habuerint & exploratione affecerint. In genere va-
riis vulnerari poteſt modis: mox unguibus obſtetricum²⁶⁾,
mox violenta dilatatione orificii²⁷⁾, mox instrumentis præ-

24) LA MOTTE Obf. 389. & ſeq. SMELLIE T. II. p. 467. Obf. 10.
T. III. p. 135. Obf. I.

25) L. c. p. 65.

26) LE ROUX l. c. p. 67.

27) SMELLIE T. III. n. 2. Obf. 2. p. 143. & Obf. 9. p. 169.

cipue in dissectione foetus adhibitis. Eum plane rumpi, si utero & capite obliquo sub continuis & vehementissimis doloribus neglecta foetus versione hoc ita ipsi opprimatur, ut substantia ejus attenuetur, ROEDERER sibi persuasus est 28). Idem eveniet, si caput aut nates pelvis capacitatem jam ingressa, vi reprimuntur in uterum; aut si incuneato capite, cerebroque exinde compresso foetus convellitur.

§. XII.

5) *Vitium uteri.*

In coetu vitiorum organicorum, quibus uterus laborare potest, occurrunt nimia ejus debilitas aut rigiditas &c. Hic recenseri itaque merentur praecipue scirrhi utero valde frequentes. Fatemur quidem, raro observari, uterum eo laborantem impragnari; sed plane negare velle, ineptum esset; nihil enim conceptioni praecipue scirrhi modum non excedente, obstat. Observata quoque plurima docuerunt, mulieres concepisse, licet eximia admodum, immo nulla fere apertura fuerit, per quam fermen in uteri cavum immitti potuit: ideo non semper absoluta sterilitas locum habet amplo etiam scirrhi uterum occupante; sed partus tunc erit difficilior. Ipse LEVRET affirmat 29): *Il y a cependant des exemples non seulement pour des matrices squirreuses, mais carcinomateuses & meme cancreuses, & ce qu'il y a de plus surprenant est de voir accoucher quelquefois spontanement des femmes, qui ont le col propre de la matrice dans cet état; c'est un fait, dont j'ai été témoin plusieurs fois.* Facile etiam fieri potest, ut

28) *Element. art. obst. §. 459.*

29) *L'art des accouch. p. 475. §. 269.*

ut graviditatis tempore qualicunque causa sanguinis venosi recurfus impediatur, & exinde non tantum varices fo-boleſcant, verum etiam ſcirrhi in eorum confinibus generentur. Hacce de re GULBRANDT 30) teſtem habeo, qui in cadavere ſecto feminæ hæmorrhagia per dimidium annum durante extinctæ, fere omnem uteri ſubſtantiam ſcirrhofam invenit. Non immerito polypi huc referendi ſunt, ſicuti ulcera, cancer, ſphacelus uteri. Facile enim eveniet, ut validis uteri contractionibus pars ſcirrhofa in cancrum abeat, vel inflammatio oriatur, in gangrænam & ſphacelum degeneratura. Nec hic omittenda mihi videntur uteri inverſio & depreſſio: minima etenim impediet, quo minus requiſita & æqualis fiat hujus viſceris contractio. Quod patet ex obſervationibus cl. MORICÆI: primipara foetum fauſte edidit: mox MORICÆUS excluſo foetu placentam abſque ulla difficultate, uti recenset, extraxit: attamen poſt horæ quadrantem, ſuperveniente hæmorrhagia, convuſionibus extincta eſt. Aperto cadavere fundus uteri verſus centrum hujus viſceris, ſicut fundus phiolæ depreſſus erat. MORICÆUS, qui metu ſubitæ colli uteri contractionis percuſſus, & BURTON, qui placentam excluſo foetu tanquam corpus mortuum & inutile reſpiciebat, inepte docuerunt, eam edito foetu ocuus eſſe extrahendam, & hic præmaturam hujus maſſæ extractionem effecit, cui ſoli depreſſio fundi uteri & inde ſubſe-quens debilitas, hæmorrhagia & puerperæ mors merito adſcribi poſſunt, quamvis in citata obſervatione puerperæ mortis cauſam in temperamento ejus ſanguineo, & hæmorrhagiâ vehementi a prægreſſo abortu ponat 31). Varia ad hujusmodi depreſſionem occaſionem dare poſſunt, maxime autem violenta placentæ extractio, inpri-

30) l. c. p. 24. in nota.

31) T. II. Obſ. 230. p. 164.

mis pertinaciter utero adherentis, nimis vehemens uteri & musculorum abdominis contractio ³²⁾, vel etiam funiculus collo circumvolutus, aut per se nimis brevis.

§. XIII.

*Diagno-
fis.*

Morbus hic fanitati, vitæque mulierum adeo infestus dirissimis stipatus est symptomatibus: unde etiam facile cognoscendum, an lochia sint naturalia, nec ne. Statim edito partu, femina hilaris, subito & nimio sanguinis e genitalibus effluxu afficitur, debilis inde evadit, vires semper magis labantur, pulsus mox parvus, mox inordinatus est. Accedunt dolores abdominis, præcipue in regione umbilicali, cardialgiæ, anorexiæ, vomitus, spirandi difficultas, palpitationes cordis & capitis dolor. Sequitur urinæ verum non semper parcius fluxus, oculorum obnubilatio, facies pallida, vocis depressio, aurium tinnitus, vertigo, extremorum frigor, immo sudor frigidus, lipothymia, tendinum subsultus, singultus, tandemque sub convulsionibus mors. Interdum sanguinis effluxum per animi deliquium cessare aut saltem leniorem evadere, revocata vero ad vitam ægra, eundem rursus cum vehementia recrudescere contendit REICHARD ³³⁾. Verum optimi Viri sententia, ut jam supra, & rationi & experientiæ adversatur, immo in praxi periculosissima foret; nam non cessaret hæmorrhagia (sit ea interna absque sanguinis per genitalia effluvio, vel externa) & celerime de vita parturientis actum foret, nisi introducta & circumacta in utero manu, extractis grumis sanguinis, inertes in lipothymia uteri fibræ irritatæ ad contractionem sollicitarentur.

Sanguis e genitalibus mox insigni quantitate, magnoque impetu ruit, mox vero non adeo copiose, sed

32) Cf. LE ROUX l. c. p. 57. §. 96. fgg.

33) REICHARD D. 6. p. 22.

tamen continuo; mox etiam cum intervallis, modo ater est, modo grumofus, mox tenuis floridus, & demum quando hæmorrhagia per quoddam jam duraverit tempus, aquofus; quandoque fumme foetidus effluit.

Febris plerumque hæmorrhagiæ supervenit, eritque putridæ indolis, si, illa in longius tempus protracta, faburra in primis viis adest, & puerperæ vires fuerint exhaustæ; vera autem immo pessima aderit febris putrida, si placentæ quid aut corpus heterogeneum qualecunque in utero adhuc hospitat: in hoc enim casu ob impeditam hujus visceris contractionem, vasorum oscula in ejusdem cavitate hiabunt, & sanguinem perpetuo emittent; puerperæ vires collapsascent, ob defectum cruoris in vasa reagentis, pulsus erit debilis, plus minus frequens & irregularis, tandemque resorpto ad secundas vias liquamine putrido pulsus debilioris aderit frequentia, & irregularitas aucta, animi deliquium præcordiorum anxietas, spirandi difficultas, cutis ariditas, linguæ siccitas, absque plerumque siti, somnolentia perpetua, abdominis successiva mollis & tandem summa inflatio, subsultus tendinum, risus sardonius, sudor frigidus, pulsus celerrimus, singultus, mors.

Quoniam in primis a partu horis sanguis tam grumofus, quam fluidus excernitur & sæpius adsunt dolores lancinantes, vehementissimi cum excretionem sanguinis grumosi, ideo inexperti plerumque non animadvertunt corpus heterogeneum in utero relictum, id circa officii mei esse duxi, signa, quæ illud in utero remorans manifestant, & propria experientia & Prædicorum celeberrimorum auctoritate suffulta, recensere: aliquot post partum horis sanguis ex utero excretus tam quantitate, quam colore & consistentiâ decrescit, & sensim loturæ carnis similis apparet, pulsus, qui antea plenus, durus & frequens erat, mollis & lentus evadit, cutis madet, respiratio est

facilis, abdomen ubique flaccidum est, nisi in hypogastrio, ubi uterus pro ratione quantitatis humorum adhuc in vasis, aut in ejusdem cavo contentorum, plus minus circumscriptus, durus & parum sensilis tangitur, puerpera in lecto tranquilla de edita prole sibi gratulatur, dolores partus jam fere oblita.

Ubi autem quid heterogenei in utero remoratur, pulsus contractus & frequentior, cutis sicca & ardens, respiratio anxiosa, suspiriosa hinc inde, abdomen tensum mole auctum, ubique sensibile, magis autem in regione hypogastrica, dolor adest gravativus in lumbis, & supra intestinum rectum, cum nixu frequentiori & subinde stranguria. Sanguis e pudendis in magna copia grumosus & fluidus erumpit, superveniunt lipothymia, palpitationes cordis, pulsus celer, parvus, & inaequalis, extremorum frigus, mentis perturbatio transitoria, anxietates & multoties sudor frigidus &c. convulsiones & mors, nisi viribus naturae expellatur, aut arte extrahatur ex utero id, quod ejusdem contractionem impedit; si autem illud in utero remanet a superficie ejusdem interna, vel partialiter, vel in toto solutum, in putrefactionem abibit, odorem cadaverosum e se sparget intolerabilem, lintea colore ex atro viridi tinget, sanies putrida, cujus pars ad secundas vias resorpta febrem putridam pessimae indolis, tremoribus, subsultibus tendinum, somnolentia perpetua, lingua siccissima, & demum nigra, delirio vago, respiratione tremula, pulsu frequentissimo, inaequali & intermitente, abdominis tandem in summam molem & ad regionem usque epigastricam elevato, oculis torvis & fere extinctis, facie lurida & hippocratica stipatam, cui puerperae plerumque intra XXI. dies succumbunt, generabit. Si uterus jactatione pedum foetus convulsi rumpitur, tunc semper id fit in ejusdem fundo, per quem istum cum parte foetus corporis ad diaphragma usque transgre-

diuntur; si autem imprudenti obstetricantis manu, aut regionis alicujus uterinæ præ aliis nimia tenuitate sub validissimis & frustraneis hujus visceris contractionibus laceratur, tunc apertura erit plerumque in latere. In quovis casu puerpera prægressis valida animi anxietate & dolore in loco, ubi uteri ruptura metuenda est, respiratione difficili & celeri, quasi subito & inexpectato ictu percussa esset, exclamant. Mox animo linquntur, perturbantur sensus, ab extravasato humore hypochondria tenduntur & inæqualiter elevantur, sanguis nunc pleno flumine per vulvam effluit, nunc nullus. Succedunt presso pede omnia, de quibus, ubi de hæmorrhogia a corpore heterogeneo in utero relicto, actum est, symptomata, & sub convulsionibus tragœdiæ finis imponitur.

Signa de quibus conjecturaliter in hæmorrhagiam ab hac vel illa causâ oriundam, concludere possumus, sunt: lumborum dolor gravativus, horror extremorum, hypochondria tensa, prægrande abdomen, dolores post partum vehementes, menses prægressi nimii, habitus corporis cacochymicus, partus difficilior, aut facilis & præceps, puerpera ad vehementes animi commotiones propensa, abortus prægressi, laxitas corporis universalis; nimia enim genitalium laxitas, vaporum & fibrarum debilitati, & proinde faciliorem sanguinis in ea aditum & minorem resistantiam præsignificat 34). His non inopportune addenda sunt, temperamentum puerperæ plethoricum, venæsectiones omissæ, medicamenta pellentia calidiora in usum tracta, pulsus frequens, plenus tensusve, respiratio anhelosa, placenta per frustula extracta. In genere simul attendendum est in omnes causas §. §. antecedentibus recensitas.

34) GRUNER *Semiot.* §. 662.

Verum, quia medicus in auxilium vocari potest mulieris, quæ absente marito, aut puellæ, quæ abortum passæ sunt, in quo casu follicitæ reticebunt morbi causam, quem pro immoderato mensium fluxu venditare solent; non irritum a me esse susceptum, credo, signa quædam, quamvis adhuc dubia eruere, quibus in suspicionem saltem hujus morbi incidere possimus. Medici enim est, non ex verbis ægrotae, sed ex symptomatis ex læsionibus functionum emanantibus rite inter se collatis judicare & curationem instituere. Videamus statim sanguinem! Signa inde deducta valde incerta sunt: attamen plerumque observatur, sanguinem hic in magna copia emanantem, nunc tenuem, floridum, rubicundum, cum frustulis immixtum, nunc grumosum, atrofusum esse³⁵⁾. Præ omnibus autem nostram meretur attentionem specificus ille lymphaticus & grave olens parturientium odor, quem Medicus, qui jam aliquoties lectis puerperarum adfitit, facile dignoscet. Insuper vitæ genus prægressum morumque integritatem animo rimetur. Nec parum luminis illi conciliabitur abdominis & mammaram inspectione, examinando, an illud sit rugosam in hypogastrio, elatum, sensibile; an hæ sint tumidæ, an succum lacteum plorent: si hæc occurrunt, supra omnem dubitationis aleam positum erit, hanc esse hæmorrhagiam lochiale.

§. XIV.

Prognosis. Prognosis Medico non erit admodum ardua, si modo corporis habitum, ætatem, temperiem, vitæ genus, causam, ipsumque morbi decursum rite perspexerit. Certi quid presagire in paucissimis tantum poterit casibus; dantur tamen signa, quæ mali periculum majus vel minus nobis exhibent.

35) REICHARD D. c. p. 20.

Periculum semper cum diurnitate mali augetur, quo longius itaque, quove impetuosius sanguis effluit, eo erit urgentius præcipue in ægrota jam ante partum hæmorrhagiam passa, vel prægresso morbo extenuata. Mulieres a multis jam prægressis partibus vel ætate debiles, si hæmorrhagia afficiuntur, lente plerumque moriuntur cum signis anæmiæ ³⁶⁾. Hæmorrhagia ex ruptis vel erosivis vasivis præ omni alia ominosa est, præsertim si partui supervenit; uterum enim valde adfectum esse docet, præcipue si ab usu drastricorum, calefacientium, & emenagogorum ortum traxerit, quod puellis abortum tentantibus præprimis evenit; aut si humores corrupti, acres, abortus fuerunt causa. In corpore cacochymico maxime est reformidanda; ³⁷⁾ ni enim subito mortem, certe tamen hydropem vel tabem post se trahet; si vero sedato jam fluxu ut Cl. VOGEL censet ³⁸⁾, humor saniosus, foetidus, diversi coloris, loco sanguinis emanat, accedente lenta febre elapso uno vel altero anno, febre purulenta, & subsequente atrophia jugulabitur.

Si a corpore heterogeneo in utero retento soboleverit, ablato illo protinus cessabit; verum, si per longius tempus in utero hospitaverit, febre putrida superveniente ut plurimum trucidabitur. Singultus mortem appropinquantem denunciat ³⁹⁾. Si uterus cancro laborat, hæmorrhagia fere semper lethalis est, saltem decumbens ocyus aut feri us ea extinguetur. Varia uteri vitia v. gr. carcinomata, ulcera, scirrhii, polypi illam a violentia externa ortam facile sequuntur. Si spasticis simul comitatur adfectibus, facie pallida, pulsu parvo, tremore, frigore extremorum, tunc res in angusto est.

36 LE ROUX *L. c.* p. 82. 83.

37) HOFFMANN *Med. rat.* T. IV. P. IV. p. 110. §. 9.

38) *De Cogn. & cur. C. H. adf.* §. 304.

39) LEAKE *L. c.* p. 198.

Hæmorrhagia ab atonia orta, si evadunt ægrotae, ad abortus disponit, sterilitatem, menses nimios, adfectus spasmodicos & fluorem album producit; verum plerumque momento citius jugulantur. Quæ a rupto sub partus doloribus utero dependet hæmorrhagia, plane nullum admittit auxilium.

§. XV.

Quod ad prophylaxin hujus morbi attinet, tam in graviditate, quam in partu, eoque peracto; regulæ observandæ sunt quædam, quibus ni plane hoc malum vitari, certo tamen ejus impetus mitigari poterit. Repetere hic, quæ omnibus gravidis incumbunt, regulas, superfluum esset: præcipue autem hoc valet, quod omnia, quæ abortum ciere possint, etiam hæmorrhagiam excitent, ideoque omni cura evitanda sunt: quare quædam tantum addere studeamus, tunc præprimis observanda, quando signa adsunt, quamvis adhuc dubia, quæ suspicionem hæmorrhagiæ partum subsecuturæ nobis involvunt. Inter quæ refero: foeminam subtilioris texturæ, debilem, cui abdomen in immensum volumen est extensum, ad animi deliquia & adfectus pronam, vel jam prægressis morbis valde exhaustam: quando plethorica est lautaque usâ fuerit diætâ, si menses admodum copiosi fuere, aut in subjecto plethorico nimis parcey & cum torminibus emanarunt, si suppressis, emenagogis mederi studuerunt; si jam aliquoties abortus passâ fuerit, vel prolapsu uteri laboraverit; si corpus impuris humoribus turget, vel venericis vel scorbuticis, vel ob laxitatem universalem pituita adest &c. secundum varia hæc signa & curam variam esse debere quisque perspectum habet. In genere vitanda sunt omnia graviora animi pathemata, modice etiam graviditatis tempore Venere utantur eæ, quæ admodum senfiles

sensiles voluptati venereæ libentius indulgent; illa etenim
 majori, quam par est, humorum ad uterum adfluxu faci-
 le abortus citatur. In plethora itaque conducet venæse-
 ctio pro ratione quantitatis sanguinis in vasis apparentis,
 repetita, estque quolibet mense celebranda, si symptoma-
 ta plethoræ adsunt. SWIETENIUS quasdam fœminas vi-
 dit lautissime vivere solitas, quibus quatuor immo quin-
 que vicibus venam secare, opus erat ⁴⁰). Huic SWIETE-
 NII observationi plures addere possem, a Practico Argen-
 tinenfi in mulierum morbis veratissimo, mihi communi-
 catus; quarum unam tantum, notissimam, hic allegare
 sufficiet: Matrona XXXVIII. annos nata temperamenti
 sanguineo-phlegmatici, quæ in vico *Niederbergen* sex
 ab Argentina leucis distante, degit, jam plures antea,
 quinto, sexto, immo septimo mense abortus cum hæ-
 morrhagiis vehementissimis passa fuerat; in quorum ulti-
 mo advocatus Medicus puerperam in summo vitæ peri-
 culo, frigidam & fere absque pulsu, convulsam vidit.
 Ex hoc morbo convalescenti, & rursus gravidæ, statim
 ac mensium suppressio adfuit, venæsectio in brachio in-
 stituta est, sequenti quovis mense ad partum usque ver-
 sus typum menstruum venæsectio reiterata, & a sexto
 mense ad partum usque quotidie decocti corticis Peruvia-
 ni mane & vesperi aliquot cochlearia deglutita sunt: hac-
 ce methodo impedito ad uterum sanguinis adfluxu nimio
 & roboratis ventriculo, vasisque in genere fœtum legiti-
 mo graviditatis tempore peperit sanissimum. Summope-
 re cavendum, ut alvus semper aperta maneat, ideoque
 clysmata emollientia, & lubricantia adhibenda. In fœ-
 mina subtilioris habitus, extenuataque, carniū usus,
 præcipue earum juscula, vini meracioris parciore potus,
 corporis moderatum exercitium omnè fert punctum; in

40) l. c. p. 473.

sanguineis autem diæta vegetabilis observanda; potus actus calidus ut & alimenta aromatibus condita, evitanda crunt.

Quando in atoniam uteri concludere possumus, conveniunt roborantia interne exhibita; extus applicentur, quæ præcipue robur tonumque vasis ac fibris conciliare possunt; huic scopo inferviunt lenissimæ abdominis frictions, immo ipsæ fomentationes frigidæ cum oxycrato caute applicatæ, una cum potu aquæ fontanæ frigidiusculæ vel chalybeatæ.

Si cacochymia laborat gravida, laxis genitalibus, vel fluore albo: quantum in hoc statu fieri potest allaborandum, ut emendetur tota humorum massa, vasisque & fibris relaxatis deperditus restituatur tonus, evacuando, incidendo & roborando. Succis herbarum leniter amararum, antiscorbuticarum expressi cum fero lactis aut jusculo ex pullo juniore confecto cum pauxillo Tartar. solubilis; Rheum, Manna, Cassia, Tamarindi, flores persicorum, Salia media, & quibus pro ratione temperamenti, & virium gravidæ concinnatur potio eccoprotica, hinc inde propinanda, ut faburra, cruditates & glutinosa, quæ identidem a vitiatis digestionibus generantur, & humorum spissitudinem, & acrimoniam sustentant e ventriculo & primis viis evertantur. His peractis ventriculo vasis & fibris tonus conciliandus est, ut ingestorum digestio facilius peragatur, indeque tenuis & blandus ad secundas vias advehatur chylus, illeque aucta vasorum actione sanguini intimius immisceri, & assimilari possit. Rheum in substantia cum Sale medio remixtum, ejusdem anima, extracta martialia, Cortex Peruvianus in infuso aut substantia, vel solus, vel prout indicatum est, cum tonicis, & incidentibus supra dictis maritatus, infusa radicum & herbarum amararum &c. prouti cuncta a temperamento & dispositione congenita gravidæ indicata sunt, prudenter propinata hanc ab-

solvent paginam. Si fluore albo excedente vexatur gravida, collumque uteri simul laxum, spongiosum & præter naturam tumidum est, tunc non inepte injectiones leniter tepidæ ex Marte & Cort. Peruv. conflatae in vaginam injici possunt; exuleat autem, sicut in hæmorrhagia quacunque, & hic illæ, quas minima etiam Saturninorum portio ingreditur. Tristes evitandi sunt animi motus, solida enim inde debilitantur, & humorum languescit circulus: lectione & societate jucunda mens recreanda est: nec balnea negligantur frigidiuscula; præcipue in subjecto illis adfacto; nec fatus genitalium ex herbis aromaticis, nec lenes abdominis frictions. Diæta sit sicca, vini generosioris modicus usus, temperata corporis exercitatio; somnus modum non excedat, aërem & loca humida fugiat.

Demum hic non prætereunda est hæmorrhagia, quæ durante graviditate feminæ quandoque vexantur. Sub duplici specie illa in praxi observatur, estque maximi momenti, ne hæc pro illa habeatur & sinistra instituat medicatio. Una est, quæ quandoque gravidas invadit, debiles, cachecticas, quibus pulsus parvus & lentus est, facies pallida, & languor corporis universalis; quæ omnia potius defectum cruoris in vasis, quam ejus excessum accusant: attamen evenit, ut gravidæ tales tertio, quarto, quinto, etiam sexto mense illaprehendantur; effluit in illis ex vagina sanguis nunc pallidus, nunc ater, glutinosus & foetidus; sed sub forma stillicidii non hæmorrhagiæ, & multoties ad duodecim & ultra immo ad XX & aliquot dies hic sanguinis fluxus protrahitur. Inepte ad illam sedandam institueretur venæsectio, cum a vasorum debilitate, aut sanguine forsan nimis dissoluto originem trahat. Experientia & ratio confirmant, abortum in hoc casu aliter non præveniri posse, quam quiete, diæta incrassante & roborante; & tonicis interne propinatis.

In altera sanguis subito floridus & grumosus effluit:

pro causa agnoscit majorem vel minorem placenta partem a superficie interna uteri separatam. In hac quiete, situ horizontali & venæsectione in brachio celebrata, & pro vehementia hæmorrhagiæ, ac ratione virium ægro-tantis repetita, sanguinis ad uterum affluxus est impediendus, nitrosis temperantibus, potu frigido, acidulo, humorum æstus temperandus est. Hacce methodo multoties evenit, ut sistatur hæmorrhagia etiam vehementissima, & ut gravida a regimine convalescentium ad victum ordinarium successive reducta, præscripto a natura termino feliciter pariat. Verum omnes consentiunt, & recte, venæsectionem non amplius esse celebrandam, immo nocivam esse, si durante hæmorrhagia contractiones uteri appareant; in hoc enim casu ocyus partus vi est instituendus. Prostant autem exempla, ut brevi tempore ita exhauriantur, ut extremis frigidis, nullus fere perfertiri possit pulsus, & in gravissimas incidant syncopes, uno verbo, ita debiles evadant, ut nullus amplius ad parandum nixus, aut alia vel minima contractio muscularis in illis expectari possit. Quid hic venæsectiones? Cur incaute nixus ad parandum expectaret obstetricans? cum partu vi instituto hic tam properandum, quam si placenta orificio colli uteri interno superincumberet. Miror neminem huc usque hunc casum dilucide explicasse. Negligentiæ aut ignorantia culpam incurrerem, si illam uteri hæmorrhagiam internam absque sanguinis per vulvam effluvio in ipsis partus doloribus supervenientem silentio præterirem. Si capite foetus pelvim jam occupante a vehementioribus uteri contractionibus vomitu conjunctis vel ob aliam quamcunque causam placenta vel in toto vel in parte a superficie interna uteri solvitur, sanguis pleno flumine in uteri cavum extravasatur, uterumque in fundo plerumque brevi tempore ita extendit, ut in summum & immensum volumen crescat epigastrium. Interea respi-

ratio difficilis evadit, conqueritur ægra de tinnitu aurium & visus obnubilatione, pulsus debilis, parvus & inæqualis est, frigentque statim extrema cum sudore universalis. Statim ac primum enarrata apparent symptomata, adhibita forcipe foetus est extrahendus; ne ægrotans ante partum juguletur, aut illo etiam absoluto uterus a cruore extravasato ultra modum extensus & debilitatus in se coire nequeat; hanc ob rationem extracto foetu obstetricans, manu aqua frigida madida in uterum celerrime inducta, illum repetitis vicibus a grumis sanguinis liberabit; postea ea, de qua, ubi de atonia, verba facturus sum methodo ad contractionem sollicitet. Denique absque temporis jactura nunquam non partus vi est instituendus, si vigentibus jamjam uteri contractionibus major sanguinis copia per vulvam apparet.

Ultimo adhuc monenda habeo, ut gravida semper degat in aëre sano sæpiusque renovato. Omnia insuper calida, sternutatoria vitanda, & tussis appropriatis remediis prudenter sopienda est.

§. XVI.

Si ampla in genere nimis pelvi, naturalibus præsertim collo uteri præternaturaliter relaxatis, uteri & foetus situ optimo, capite exili, contractionibus vehementissimis intra breve temporis spatium per dilatatum uteri orificium, foetus caput ad ischii spinas usque transpellitur, id, ne infrequenti contractione foras præmature exprimatur, digitis in formam conii collectis, in vagina retinendum, parturiensque ne subsequenter uteri contractionem nixu secundet, sollicitè monenda est. Hoc enim mechanismo obtinetur, ne non tantum uteri prolapsus completus vel incompletus, sed & hæmorrhagiæ, quæ partum nimis acceleratum exhaustis uteri viribus, plerumque insequuntur,

locum habeant, præsertim dum placenta exclusum foetum, quod multoties evenit sponte sequitur; & si videtur, parturientem inanibus doloribus summo opere debilitari, secundum regulas artis obstetriciæ, ut partus acceleretur omnibus viribus est annitendum. Verum, cum innumeræ prostant causæ, quæ partum nimis retardare possunt, & in hoc, vel illo casu diversus gravidæ situs, diversa manus obstetricantis tentamina, immo nunc versio foetus, nunc instrumentorum usus requiratur, ideo de his omnibus verba facere, nimis prolixum esset nosque a suscepto opere nimis distraheret.

Postquam foetus in lucem prodiit, nondum ab omnibus liberata est puerpera; expellendæ aut extrahendæ enim remanent secundinæ. Omnem nostram attentionem hic naturæ mechanismus meretur, cum sententia artis obstetriciæ peritorum in hoc casu plane diversa sit. Mittamus has Auctorum rixas, & sufficiat nobis statuere, placenta excluso foetu non esse extrahendam, nisi hæmorrhagia adsit, donec uterus in regione hypogastrica durus atque circumscriptus tangatur, simulque parturiens involuntarios patiat, ut in partu, aut leniores nixus, cum lumborum dolore, & multoties cum sensu ponderis supra intestinum rectum conjunctos: tunc absque ullo periculi metu natura in hoc salutari opere prudenti manu est adjuvanda. Hacce de re præ reliquis sententia STÖLLERI mihi arridet, qui affirmat: *Blos der Natur die Absonderung und Austreibung der Nachgeburth zu überlassen, halte ich eben für so unrecht, als die bekandten Handgriffe zur Beförderung der Geburth eines nicht recht innestehenden oder übel liegenden Kindes darum zu unterlassen, weil man doch mancherley Erfahrungen anführen kan, das die Natur auch dergleichen Geburthen jezuweilen vor sich glücklich beendiget hat* 41). Uterus enim præscripto a natura

41) L. C. P. 82.

graviditatis termino non patitur, ut corpus qualecunque in sua cavitate remoretur; quamobrem sese indefinenter totis viribus contrahit, donec vel sit exhaustus, vela contentis sese liberaverit. Optime hoc videtur in gravidis, castra sequentibus, quæ plerumque solæ & feliciter pariunt. Excluso itaque foetu, huic visceri tantum relinquendum est temporis, quantum ipsi sufficiet, in sese coeundi: hoc autem determinari non potest; dependet enim a temperamento parturientis, a qualitate partus prægressi, & ipsius placentæ fortiori, vel minori cum uteri interna superficie nexu.

Mala quæ a præmatura placentæ extractione ex dammando MORICÆI & BURTONI systemate in humanitatem redundarunt, enarrare, superfluum esset; quisque in arte obstetricia peritus absurdas & periculosas has opiniones hodie abhorret. Non ignoramus, collum uteri, quod toto partus negotio in statu passivo erat, & in exitu foetus validissime fuit extensum, innata sibi vi contractili excluso illo celerrime, & ita se contrahere, ut labia ejusdem orificii interni prorsus sint conjuncta, ex hoc forte mechanismo MORICEUS conclusit, placentam ocyus extrahendam esse; ne contracto uteri collo absolute retineatur; non attendens, vel uti videtur, prorsus ignorans, hanc colli uteri contractionem tantum esse momentaneam, utrumque doloribus partus fatigatum ab inactione successive resurgere & rursus in contractum uteri collum tanquam in antagonistam totis viribus sese contrahere.

§. XVII.

Princeps, quæ in ipsa curatione observanda incumbit, indicatio, est ut inhibeatur sanguinis effluxus, vitæ parturientis minitans. Methodus vero, qua id fieri debet, & potest, secundum diversas causas diversa erit: optime ita-

que actum esse puto pro singulis earum curationem ad-
dere.

Jam autem innotescit imminutam partium cohesio-
nem nervorumque debilitatem, a quacunque causa oriun-
dam ad atoniam ansam præbere. Quidquid igitur cohesio-
nem augere poterit, & ad contractionem sollicitabit, fau-
sto eventu non defraudabitur. Varia & multa dantur me-
dicamenta, quæ huic scopo inservire poterunt, sed quo-
niam varii occurrunt atoniæ gradus, ideo in administ-
ratione medicamentorum prudentia opus erit. Leniora pro-
piabimus, si atonia non ita notabilis est, quando adhuc
adsunt quædam uteri, quamvis insufficientes contractio-
nes: ad fortiora vero, quando major est atonia, & peri-
culum urget, est deveniendum. In primo itaque gradu
statim aquæ frigidæ haustus exhibendus est. HOFFMANN
& LEAKE ejus usum valde extollunt. Jam in nobis ipsis
horrorem quasi per totum corpus sentimus post aquæ fri-
gidæ potum, nonne & hoc quandoque sufficeret, ut in
inerti, & quasi dormitante utero vis contractilis rursus ex-
citaretur? Nonne etiam clysmata ex aqua frigida eundem
in finem adhiberi possent? desperatissimam enim hæmor-
rhagiam uteri aqua glaciali in anum injecta cito & feliciter
curatam fuisse, testis olim fui.

Nec abdominis friciones negligendæ sunt; superflu-
um esset, omnes allegare Auctores, qui hujus remedii salu-
tarem effectum laudibus extollunt. Unici sufficet *Cel.*
SAXTORPH ⁴²⁾ qui (liceat ipsi dicere) cum exaggeratione
hoc remedium optimum, citissimum & efficacissimum
appellat, quo hæmorrhagia hæc sisti possit, in medi-
um protulisse. *Attonitus*, inquit, *sepius vidi, quomodo sub*
hac abdominis pressione, puerpera debilis & lipothymia cor-
repta, momento oscitavit sensibus redeuntibus. Omisssam pres-
sionem

42) *Act. Havn.* T. I. p. 328. 1774.

tionem subsequatur statim obscuritas oculorum, susurrus aurium & ipsa lipothymia. His autem irritis jam ad fortiora confugiendum est: eidem scopo abdomini applicanda sunt lintea aceto, & aqua frigida immo glaciali madida, sæpius repetita. Maximum hic rursus frigori adscribendum erit auxilium, stimulum in utero excitando, fibris & vasis robur contractionemque conciliando. LEAKE asserit, quod his linteis, potu aquæ frigidæ, & aëre renovato imperatis, semper (an verum dicat, dubito) felix fuerit successus 43).

Sed omnibus his incassum adhibitis sunt quidam, qui usum & applicationem pessorum illorum stypticorum maxime extollunt; inter quos præcipue FR. HOFFMANN & LE ROUX eminent. Non ego sum, qui clarissimorum virorum experientiæ contradicam, nec minus sentiam, aquam aluminosam vi adstringente maxima gaudere; sed liceat etiam tironi quædam non inutilia, & forte in praxi salutaria hic annotare. Lintea carpta aqua aluminosa, vel alio liquido adstringente imbuta, vaginæque intrusa, illam certe constringent: fieri etiam poterit, ut per consensum uterus contrahatur; sed quoque eveniet, ut, vagina his linteis repleta, sanguis in utero jam extravasatus, & ille qui identidem per vasa erumpit, in utero retineantur, collo uteri a remedii immediato contactu arctius constricto, moraque in grumos abeat multoties immensi voluminis, quo fiet, ut uterus in se coire impar, aperta vavorum oscula operire nequeat: insuper cruor in utero hospitans in putredinem necessario abeundo, totam humorum massam inficere, & in exhausto corpore febrem putridam generare poterit. Quid auxilii afferret hæc methodus in hæmorrhagia interna absque sanguinis per vaginam effluvio? quare per consensum contractio uteri tentanda est, cum per immediatum contactum eadem cele-

43) L. c. p. 195.

brari poterit, injectione in uteri cavum ejusdem aquæ aluminolæ aut liquidi cujuscunque adstringentis? hac methodo celerior obtinebitur effectus, nihilque impedit, quo minus irritatus uterus in sese coire possit, immo sese contrahendo sanguinis grumos non tantum ejus contractioni resistentes, verum etiam vaforum aperturam sustentantes successively foras expellat. Attamen, antequam in uteri cavum fiat injectio, obstetricans manu, aqua frigida, cui sexta pars spiritus vini affundi poterit, aut solutione supradicta, madida, iteratim grumos sanguinis ex utero educat, eamque circumvolvendo hoc viscus ad contractionem sollicitet. Hac methodo, citius, jucundius & tutius curabitur.

Dum hæc geruntur, non negligenda sunt auxilia interna, cum ægrotans in præsentissimo versetur vitæ periculo: ideoque omnia, quæ motum humorum compescunt eos condensant, & solida ad præcipitem contractionem sollicitant, repetitis dotibus sunt ingurgitanda. Inter hæc primas tenet aqua frigidissima cum duodecima parte aceti remixta, quæ simul est reficiens: huic, si urget periculum, accedit proxime spiritus Vitrioli, essent: Rabbellii aut Tinct. rosarum congrua dosi, aquæ frigidæ nupta: si hæc defunt, solutio aluminis rupei aut ipsum ex alumine rupeo & sanguine draconis conflatum HELVETII in hæmorrhagiis adeo celebratum specificum, aut quodvis aliud remedium adstringens pro occasione aut lubitu subministratum pleno gutture est hauriendum.

Cessante hæmorrhagiæ vehementia, fluida identidem incrassanda, solidaque & vasa in recuperato tono sunt sustentanda, ut sensim imminuto sanguinis effluvio non tantum sanguis in locum minus resistentem non irruat, verum ut etiam puerpera deperditas vires successively recuperet: huic scopo apprime conveniunt cremores vegetabilium, amygdalata, gelatinæ ex carne juniorum anima-

lium ex cancris fluviatilibus, coxis ranarum, feminibus quatuor frigidis, radicibus consolidæ majoris & Altheæ confectæ, prudenterque propinata. Secundam implebit indicationem decoctum Corticis Peruviani leniter alumina- tum, aut cum tincturæ rosarum aut spiritus Vitrioli debita quantitate remixtum: præsertim autem hæc methodus medendi conveniet, si a nimis dissoluto sanguine hæmor- rhagia natales traxerit: in quo consentit GULBRANDT, dicens: *quod si acrimoniæ cuidam putridæ vel scorbuticæ re- solutio humorum debeat, illis vix efficacius opponitur re- medium ullum, quam acidum vitriolicum Cortici Peruvia- no junctum* 44).

Ad uteri hæmorrhagiam partui supervenientem sisten- dam, sunt, qui tartar. emet. aut rad. Ipecacuanh. incon- sulte proponunt; concussu enim totius corporis sanguis au- cto impetu ad uterum corruet. Videntur mihi hi auctores periculosum hoc remedium temere in usum traxisse, quia ignorabant, quod attamen tironibus notum est, hæmor- rhagias quasque animi deliquiis & hæc vomitu etiam per- tinacissimo fere semper esse conjuncta, falso judicantes, eo tendendum, quo natura vergit: vomitus enim talis symptomaticus est & addito calcare compescendus, ne pe- jora ex illo mala insequantur. Sunt equidem hæmorrhag- ia uteri, quæ a saburra in primis viis hospitante, susten- tantur, & in longius protrahuntur; sed adsunt ciborum inappetentia, nausea, linguæ amarities, vomitus biliosus, tormina, diarrhœa symptomica, quibus solidorum tonus debilitatur, & non tantum humorum inter se debita co- hæsiō imminuitur, illisque acrimonia conciliatur, verum etiam nimius ad intestina & vasa vicina affluxus prorita- tur. Hoc in casu 45) emetica prudenter & refractissima dosi

44) *l. c. p. 84.*

45) *de quo clar. ASTRUC mal. des femmes T. II. p. 164.*

& longis intervallis convenient, demulcente vehiculo prægressis irritisque eccoproticis ingurgitanda, in alio quocunque autem cane pejus & angue evitanda sunt.

Alii etiam clarissimi viri, quibus magna in praxi medica auctoritas est, ipsum opium ejusque composita uteri hæmorrhagiæ opponunt: an recte? Opium sanguinem diluit, & rarefacit, solidorum tonum debilitat, imo eadem absolute pro tempore relaxat. Dilutus sanguis facilius per oscula vasorum aperta effugiet; & rarefactus vasa uteri magis implebit: vasorum denique deperdito tono nihil impediet, quo minus pleno flumine erumpat. Summopere autem deprædicantur opii effectus salutares in compescendis illis torminibus, qui fluxum lochiale multoties concomitantur. Non ignoro opium dolores quoscunque compescere, quomodo id fiat, supradictum fuit.

Absolute partu immensa humorum copia, qui gestationis tempore foetui nutrimento erant hujus visceris contractione ex vasis successively exprimitur. Si uteri contractio æqualis est, collumque ejus expresso sanguini non resistit, tunc ille eadem proportione per pudenda identidem emanabit, qua in ejus cavum ploravit, & hic mechanismus celebrabitur absque dolore, quod plerumque in primiparis observatur. Si autem sanguis in uteri cavo retinetur, præternaturali colli ejusdem contractione: tunc aderunt tormina, dolores lancinantes, spasmodici, donec tandem uterus resistantiam colli superaverit, quod plerumque ejectione grumi sanguinis voluminosioris iteratis vicibus peragitur. Aliæ adhuc adsunt causæ, quæ statum hunc puerperis adeo infestum inducunt; v.g. spissitudo, tenacitas humorum in uteri vasis contentorum, aut eorum quantitas nimia, obstructio, scirrhus in textu uterino existens, corpus heterogeneum in ejusdem cavo relictum, violenta nimis hujus visceris contractio, immo omne id, quod quocunque modo fibras nerveas irritare, & eas exquisito doloris sensu afficere poterit.

Ex supradictis sequitur, post partum adesse in vasis uterinis humores excrementitios, contractione hujus visceris expellendos: tormina non adesse, si eorum expulsionem colum uteri non resistit, aut si nulla ex pariter allegatis causis occurrat, quæ liberam, & non dolorificam nuncupatorum humorum ex vasis uterinis exclusionem impediatur, aut nihil heterogenei in utero remanserit, quo fibræ nervæ admodum sensiles concutiantur.

Ex præmissis pariter sequitur, passivum hunc uteri statum esse in subjectis eo laborantibus, uti recte dicunt artis obstetriciæ præceptores, malum necessarium prudenter & palliative tantum tractandum, non autem plane sopiendum. Ideo si tormina sunt vehementiora cum pulsu duro, pleno & febricitante, si cum aliquali hypogastrii elevatione, & sensu præternaturali, functionumque læsione sunt conjuncta, venæsectio in brachio instituta, & si opus est reiterata, ut minor sanguinis in uterum jam infarctum fiat influxus, instituenda est. Simul potu diluente, demulcente, & relaxante cum refrigerantibus, oleosisque interdicitis omnibus, quæ vasa ad minimam etiam contractionem cedere possent, militandum. Externe embrocationibus, & fomentationibus, clysmatibus emollientibus crebro injectis spasmus est relaxandus. Hac methodo ab excernendis humoribus liberatur uterus absque metu gravioris morbi, cum in eo semper conservetur tanta vis contractilis, quanta ei sufficit ad implendam legem a natura impositam. Opii autem usu dilatatis majoribus vasis minora exhalantia comprimuntur, unde sanguinis in utero remora: adde, quod deperdito fibrarum tono uterus ad contractionem fit incapax. Non mirum igitur, si ab imprudenti hujus remedii administratione tot, & tantæ lachiorum suppressiones, & inde pedissequæ uteri aut aliorum viscerum inflammationes in praxi occurrant. Quidquid etiam contraclament adhuc hodie nonnulli artis obstetriciæ magistri, ego & ratione, & experientia aliorum

non inferioris subfelli obstetricantium, suffultus, papaveracea in refracta dosi, & prudenter administrata, non neglectis, de quibus supra, remediis, in hæmorrhagia nunquam, sed in torminibus solummodo partum insequentibus, suppeditabo.

Quandoque hæmorrhagiæ uteri sese adjungunt suffocatio uteri, & symptomata ab ea dependentia. Hoc accidit præprimis mulieribus passioni hystericae obnoxiiis, quæ iracundæ, & meticulosæ sunt, & illis, quibus systema nervosum summopere debile, & senfile est. In hoc casu non neglecta cura radicali symptomatibus hysterice est occurrendum, spasmus compescendus & arcendus est Liquore anodino miner. temperantibus & diluentibus internis, fragrantibus cardiacis, ex aceto, aromatibus, & gummatis antihysterice naribus admotis, vel sub forma fumi inhalitis: exulent, quæ moschum, & ambram redolent, utpote quæ malum exacerbant. In omni hæmorrhagia ad aëris renovationem, & ut ille sit frigidiusculus, est attendendum, quod LEAKE jam observavit⁴⁶⁾, reficit enim absque commotione. Ideo proscribenda sunt cardiaca interne sumta, etiamsi adsit summa debilitas; commovent enim arterias, & in patula uteri vasa sanguinem propellunt; exulent quoque lecti molliores ex plumis confecti, & agrotæ decumbat culcitræ ex corio contextis, & pilis equinis, immo stramine fartis.

Antiqui⁴⁷⁾ in omni hæmorrhagia urgenti frictions, & ligaturas artuum instituebant: cucurbitulas scarificatas applicabant. Hodie autem horum remedium plane inutilis usus exolevit; ad quid enim in nostris uteri hæmorrhagiis?

⁴⁶⁾ *l. c. p. 194.*

⁴⁷⁾ GALENUS *l. ad Glaucon. Cap. 14.* HIPPOCRATES *de morb. mul.* AETIUS *Tetrab. IV. Sermon. 4. C. 64.* PAULUS ARGENTORATENSIS *de re med. Libr. III. Cap. 64.*

§. XVIII.

Si a corpore heterogeneo in utero relicto hæmorrhagia natales traxit, eo extracto statim hæmorrhagia cessabit: hoc autem nonnisi intra primas XIV. a partu horas celebrari poterit; his enim elapsis collum uteri jam ita est constrictum, ut manus in uterum aditum recuset. Ideo si illud utero adhuc adhæret, quod exploratione cognosci poterit, injectionibus ex aqua tantum tepida in uterum projectis, ut id in putredinem celerius abeat, & ab interna uteri superficie solvatur, omnibus viribus est alloborandum: si vero jamjam in uteri cavo fluctuat, orificio colli interno superincumbens, illud plerumque forma infundibuli dilatat, & profundius in pelvim deprimit, & digito exploratore tangitur: si tunc prehendi, & extrahi nequit, irritato per lenem dilatationem & attractionem uteri collo contractio hujus visceris est iteratim excitanda; hunc scopum secundabunt clysmata acriora ano injecta; hac enim methodo quandoque evenit, ut contentum tandem expellatur. His irritis, si hæmorrhagia urget, & vitæ parturientis minuitur, forcipe minori LEVRETI vulgo *Pince à faux germe* prudenter in uteri cavum inducta, est extrahendum. Hac methodo plures ab orci faucibus quasi ereptæ, mihi notæ sunt. Quod remedia interna in hoc casu adhibenda spectat; palliativa tantum præscribi poterunt; donec corpus heterogeneum ex utero extractum sit: sublata enim causâ protinus cessabit effectus; ideo, quæ motum humorum, eorumque ad uterum affluxum compefcunt, interdicta attamen venæsectione, quæ inutilis, immo nociva foret, quæ putredini resistunt, sunt ingurgitanda. Inter hæc primas tenent Nitrum, acida vegetabilia & mineralia, serum lactis acidulum, Cortex Peruvianus & Camphora &c. Neglecta autem, aut impossibili corporis heterogenei extractione, injectiones ex de-

audiogau

cocto Corticis Peruviani sunt multiplicandæ, ut ex utero eluatur semper sanies putrida a corruptione oriunda: interne vero antiseptis, omnibus cardiacis, demulcentibus & sanguinem condensantibus, quæ febris putridæ pessimæ indolis opponuntur, est militandum: sed incassum plerumque medicina adhibetur. Inter alia innumera triste hujus veritatis exemplum intra muros Argentinenses nuperrime apparuit.

Tandem de prophylaxi & cura simul hæmorrhagiæ, quæ a rupto, aut læso partus tempore utero oriunda est, verba quædam facere mihi incumbit: in hac statim ac prima, quæ metum rumpendi uteri injiciunt, symptomata, apparent, sanguis e brachio ad syncopen usque, mittendus consilio LEVRETI, ut relaxetur uterus: simul autem cum extractione foetus properandum est. Si itaque caput ejus in vagina jam hæret, adhibita forcipe partus est absolvendus; si autem adhuc in utero delitescit, & orificio colli interno in debito situ superincumbit, dilatato ocyus orificio ad unum vel aliud latus, quo via facilior patet, est reprimendum, ut partus versione foetus celerrime absolvi queat.

Rupto autem semel utero de lurica puerperæ cogitandum & forcipe aut versione foetus partus est celebrandus, ut huic saltem vita conservetur. Sunt, inter quos LEVRETI, qui in miserrimo hoc statu sectionem abdominis proponunt, sed cur tantis malis, quibus nulla hucusque puerpera evasit, adhuc alia adderentur, in certo profusus imo sinistro potius eventu? Si enim caput foetus vaginam obsidet, nihil erit tali partu facilior, si non, patebit introductæ in uterum manus via, per quam obstetricans pedes foetus in abdomine prehendere, & versione partum absolvere poterit; quod ex Observationibus LA MOTTE & BURTONI supra citatis cuique patet.

Ultimo, si uterus aut ejusdem vagina obstetricantis unguibus

unguibus, instrumentis lacerantibus, vel scindentibus,
 aut alio quocunque modo vulneratur, hæmorrhagia ade-
 rit, cujusque vehementia a magnitudine vulneris inflictæ,
 a quantitate, & qualitate vasorum laceratorum mensuranda
 est. Læsiones vaginæ plerumque congruo situ puerpera
 conciliato, absque adhibito medicamento curantur. Non
 autem idem censendum est de illis, quibus uterus labo-
 rat: si enim iis intra breve temporis spatium puerpera non
 succumbit, recte metuendum est, ne subsequenter, ul-
 cere, scirrhus & carcinomate postmodum extingatur.
 Ubi in hoc casu hæmorrhagia valida est, supra enarrata re-
 media, atoniæ uteri opposita, tam interna, quam exter-
 na cum venæsectione in brachio instituta, si ægrotantis
 vires eam admittunt, convenient; illa demum cessante in-
 jectionibus deterfivis, & leniter tandem balsamicis, non
 intermissis internis quæ feбри purulentæ conveniunt, remediis
 ulcus depurandum, & ad consolidationem conducendum est.

§. XIX.

Si hæmorrhagia uteri qualiscunque cessavit, res equi-
 dem est in vado; ast ægrota non adhucdum fanitati est
 restituta; vasorum enim nimiam depletionem, quæ sem-
 per cum solidorum deperdito tono conjuncta est, presso
 pede insequuntur febris lenta, obstructiones viscerum,
 hydrops & marasmus &c. Ideo tota medicantis cura eo est
 dirigenda, ut de novo, & successively deperditus cror re-
 stituatur; id obtinebitur, si chylus blandus, & dilutus
 suppeditatur, id autem fieri nequit, nisi evacuatis hinc in-
 de pro ratione virium primis viis, ventriculi & intestino-
 rum tonus excitetur & sustentetur medicamentis roboran-
 tibus tonicis: inter quæ aliis palmam eripiunt Cortex Pe-
 ruvianus, radix Rhabarbari & martialia, vel sola vel inci-
 dentibus nupta, nisi tussis adsit; duplicem hunc scopum

F

absolvent aquæ minerales, chalybeatæ, Spadanæ, Swalbacenses, Bussanæ & Pyrmontanæ nostro clymate familiares; roborant etenim solida, diluunt & incidunt lentos humores, quorum difficilior in vasis a potentia motrice remotis est transitus, quibusque debentur obstructions viscerum, & sequelæ inde oriundæ, spasmi & dolores artuum, vertigines, animi deliquia & capitis dolores vehementissimi, quibus nunquam non a vehementiori hæmorrhagia convalescentes divexantur.

Ut autem hæc fausto coronari queant effectu ingestorum tam qualitate, quam quantitate est adjuvanda: in horum selectu, a cremoribus vegetabilum, & gelatinis carniū, quibus præter herbas refrigerantes, incoqui possunt cancri fluviatiles, & coxæ ranarum primis diebus in parca dosi, sed iteratis vicibus exhibitæ: si rite succedunt ad carnes piscium, lucii, percæ & trutæ & ad illas juniorum animalium, ad radices & olera vernalia, & si humorum adest dissolutio, acrimonia, ad lac & lacticia roborantibus, tonicis & absorbentibus adjuta prudenter est deveniendum, si nulla adest febris, vini generosioris parvus & quotidianus potus, corporis moderatum exercitium, mentis alacritas, victus in aëre sicco, & ejusdem hinc inde mutatio præsentaneas ad restaurandum corporis robur, suppeditabunt opes.

His autem incassum adhibitis, si succedit morbus qualiscunque a nimia virium dejectione & ex hac subsequente functionum læsione oriundus, is pro sua specie & ægro-tantis temperamento indicationes offeret, cuique pro suo judicio adimplendas.



Strassburg, Med. Diss., 2.


ULB Halle


3

004 194 284



56.





Q. D. B. V. 3
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
HÆMORRHAGIA UTERI
PARTUM INSEQUENTE
QUAM
CONSENTIENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
P R O L I C E N T I A
G R A D U M D O C T O R I S
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI
IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE
DIE XXI. SEPTEMBRIS MDCCLXXX.
SOLENNITER DEFENDET
GUSTAVUS FRIDERICUS BEZOLD
ROTENBURGO - TUBERANUS.
H. L. Q. C.

Argentorati, Litteris JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.